



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

3. Quarta sententia ponitur & præcipuè mens Patris Valquez elucidatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

libera in quantum libera formalissime constituitur per extrinsecam mutationem Dei, & nullo modo per aliquid intrinsecum illius.

- 15 Maior sic probatur, quia denominatio volendi libere potest esse, & potest non esse in Deo; sed posse esse, & posse non esse est contingens formaliter: ergo denominatio, seu ratio liberi constituitur per aliquid contingens. Maior sic demonstratur; quia qui nunc est in gratia amatur à Deo, iustus enim, & gratus Deo dilectus est, & postea quando peccat, non diligitur à Deo, quatenus peccator est & habet peccatum; alias Deus diligeret peccatum: ergo denominatio, & ratio volendi potest abesse, & adesse à Deo ac proinde contingens est.

SECTIO III.

Quarta sententia ponitur, & precipue mens Patris Vasquez elucidatur.

- 16 Thomistæ unanimi consensu asserunt, actum liberum Dei constitui formaliter per relationem, & habitudinem rationis, nec quidquam aliud addere ad volitionem necessariam per quam se Deus diligit; hoc excogitarunt, ut facile occurrerent toti difficultati; quoniam additio entis rationis non indicat realem potentiam passivam nec mutabilitatem, nec compositionem, nec carentiam realis perfectionis; ita Capreolus in primo dist. 45. q. 1. art. 2. Ferrara lib. contra Zent. cap. 75. & 76. Hispanensis in ea dist. 1. & art. notabili 2. Zamel art. 2. in 3. P. Molina. 1. p. q. 19. art. 3. disp. 2. post refutatum Caietanum, & passim. q. 14. & ab ipso appellatur communis in nostra Hispania; [quod mirabile est ut inquit P. Herize; ea sunt horum Thomistarum auctoritas dum in ea plus opere dabatur armis, quam literis, cum tamen tam sit aliena ab omni veritate, ac solido fundamento; in quam sententiam sine dubio vellet, nolit Alarcon inclinatur P. Vasq. 1. p. disp. 80. cap. 2. qui his verbis propriæ opinioni lucem offendere nititur. [Est igitur voluntas libera Dei, essentia diuina significata per modum actus vitalis, & effectus eliciti, cum re vera sit ipsamet substantia Dei; includit tamen habitudinem etiam quandam rationis ad res futuras, quæ libere Deo convenit; sicut etiam reslibere future sunt. Cum enim hæc relatio confurgat ex fundamentis non necessariis, nempe ex rebus ipsis, & obiectis futuris; ipsa etiam habitudo libere Deo convenit, non intrinsece, sed extrinsece solû denominatione, quæ Deo convenire, & non covenire non est absurdum: ergo cum velle liberum Dei non solam includat essentiam, sed cum tali respectu, etiam si libera voluntas Deo possit adesse, & abesse; nihil sequitur absurdi, quod divinæ simplicitati, & immutabilitati repugnet.

- 17 Eodem modo de præscientia philosophati sumus disp. 68. cap. 3. & 6. videlicet eam esse ipsam substantiam Dei, quæ alias cognitio est creaturarum possibilem, addito respectu solum rationis ad res futuras, quarum dicitur præscientia, ita ut si res future non essent, Deo quidem deesset præscientia, sed non scientia; sic igitur si res future non essent, non esset in Deo libera voluntas, quæ significatur cum illo respectu libero; esset tamen voluntas complacentiæ, ipsa nimi-

rum essentia diuina cum respectu rationis necessario ad res possibilem: sicut ibidem de scientia rerum possibilem diximus.]

Et in fine illius capituli sic ait: quo autem pacto Deus seipsum determinet ad hoc potius, quàm ad illud ineffabile sane est: nisi quod nostro modo intelligendi intelligamus essentiam Dei, quæ est eius voluntas habere circa futura peculiarem rationem voluntatis cum respectu illo rationis; habemus ergo ex omnibus, quæ dicta sunt, voluntatem liberam Dei, quæ se vult communicare extra, prout libera est, non esse aliquam in Deo perfectionem; nam ut talis includit respectum rationis ad creaturas futuras, neque vero S. Thomas usquam docuit, esse aliquam Dei perfectionem velle se aliis communicare, ut recte admonet Ferrara cap. illo 75. solum enim dixit, bono quatenus perfectum est, id convenire, hoc est actum proprium boni, & perfecti esse aliis suam bonitatem impertire, & ita quamlibet rem non tantum sibi desiderare suam perfectionem, sed aliis etiam se communicare; quo circa Caietanum non probat ex doctrina S. Thomæ id quod contendebat.

Ex quibus verbis Patris Gabrielis Vazq. manifeste colligitur, secutum fuisse hunc Auctorem opinionem Thomistarum, primo quia pro sua sententia citat Ferrarensem eodem capite 2. n. 7. ibi, hanc sententiam tradit Ferrariensis cap. illo 75. nec vero contrarium docuit Gregorius in primo dist. 47. quæst. unica, post septimum conclusionem, ubi P. Gabriel Vazq. totum suam opinionem late explicatam tribuit Ferraræ, & Gregorio; sed indubitatum est apud omnes Doctores Ferraram, cum cæteris Thomistis asseruisse, actum liberum Dei constitui per habitudinem, seu relationem rationis, & ideo P. Franciscum Suarez in metaph. disp. 30. sect. 9. n. 30. §. omnia primum tanquam choriphæum citat Ferraram, his verbis: [tractanda est altera sententia de respectu rationis, quam fere alii sequuntur ut Ferrara primo contra gent. Sylvester, &c. eodem modo asserit pro hac sententia P. Herize. tract. 2. disp. 16. cap. 3. ibi: non dubitauerint affirmare libertatem Dei, ut comparatur ad creaturas solum asserere respectum rationis, eam docuere Ferrara lib. 1. contra. Gent. Capreolus in 1. &c. quem etiam refert pro hac sententia P. Didacus Ruiz. tom. de volunt. disp. 11. sect. 1. n. 1. ibi; frequentior Thomistarum sententia fuit hæc; [volitio libera Dei supra volitionem necessariam addit tantummodo relationem rationis ad aliquod obiectum creaturæ, & quantum ad hanc relationem potuit non esse volitio libera, quamvis tota realis entitas rationis liberæ sit necessaria, ita ut non potuerit non esse hanc sententiam expresse docuit Capreolus in 1. dist. 45. quem sequitur ibidem Dela. q. 1. Sylvester in consil. 1. p. Ferrar. lib. 1. contragent. Idem facit Granados 1. p. disp. 5. sect. 3. n. 15. etiam Arrubal 1. p. disp. 54. cap. 3. P. Valencia eadem. 1. p. disp. 1. q. 19. puncto. 4. Bellatrin tom. 3. lib. 3. de Gratia, Salas. 1. 2. tract. 3. disp. 1. sect. 8. §. 7. 5: quotquot de hac materia scripserunt. Idem etiam docent hi auctores de Gregorio: ergo sine dubio P. Vasquez hanc opinionem Thomistarum sequutus est.

Deinde; quia nullus ex Thomistis, nequeam clarius verbis, neque tanta repetitione, neque in tot locis ut P. Vasquez docet, actum liberum addere relationem rationis: ergo si P. Vasq. licet tam clare loquatur, & asserat decretum Dei liberum constitui formaliter explicatur, & asseritur

tur ab aduersariis pro relatione rationis intellectus denominationem extrinsecam realem à creaturis, etiam omnes Thomistæ, qui obscurius in hac materia ipso P. Vasquez loquuntur, poterunt explicari, & poterit affirmari de eis à fortiori loquutos esse de denominatione extrinseca reali; quod quam sit ridiculum dicere, nullus est qui non videat; siquidem hæc opinio de ente rationis pluribus ab hinc annis maxime valuit & floruit, & inter puros Thomistas in suo virore perseuerat; quare qui hanc opinionem negauerit fuisse Thomistarum, etiam poterit lucem meridianam inficias ire: quare si de sententia Thomistarum non est dubitandum, à fortiori non poterit in dubium reuocari sententia Patris Vasq. de ente rationis.

Nec mirum, quod hic Author in hanc sententiam inclinauerit, siquidem tot Auctorum ac Doctorum auctoritate fulsita est, & ab innumeris Theologis sequuta, præcipue cum P. Vasq. quam plures pure Thomisticas sententias tueatur, ac defendat; v.g. quod idem corpus circumscriptione non possit esse in duplici loco adhuc diuinitus; quod eadem materia non possit informari duplici forma; quod idem effectus non possit à duplici causa totali produci; etiam per potentiam Dei absolutam quod peccatum, & gratia adhuc supernaturaliter non possint esse in eodem subiecto simul, &c. ergo qui has sententias tam mordicus sequutus fuit, non mirum, quod istam de habitudine rationis amplexus fuerit.

21 Præcipua vero ratio, quæ maxime mouet ad asserendum P. Vasquez fuisse huius sententiæ est; tum quia claritas, & perspicuitas ingenij tanti Doctoris adeo elucet in omnibus eius operibus; vt obscuris aliorum Doctorum sibi aduersantium opinionibus, vt ipsas oppugnet lucem clarissimam offendat, & clarius eas doceat, quam proprii auctores, ac proinde pene omnes facilitate docendi superet, quo posito quis poterit sibi persuadere in re tam graui, qualis est hæc de actibus liberis adeo obscure & confuse (præter proprium morem) loquutum fuisse tam dilucidum Doctorem, vt denominationem extrinsecam realem appellat tot vicibus, tot propositionibus ens rationis, seu habitudinem, & ordinem rationis; præcipue cum sine villo labore, aut difficultate, sicut tu asseris, decretum liberum Dei constitui per connotata extrinseca, aut denominationem extrinsecam realem potuerit ipse eodem modo loqui, vt solitum morem clare explicandi in negotio, vbi necessaria magis est claritas in loquendo, quam in cæteris disputationibus, ne confusio ingeratur legentibus; quid ni oblitusne est P. Vasquez denominationis extrinsecæ realis, aut in mentem eius non uenerunt connotata extrinseca realia; quæ torques, & explicuit doctæ, & acute refellit & erudite docuit, vt nec verbum quidem dum suam sententiam explicare conatur de eis agat, certe non est hoc credibile, neque contra ius, falsæ sententiam Thomistarum tanto Doctore est priuanda, aut expolianda quando in tantam formam hæc opinio, quæ iam iam inter neotericos semimortua, ac pene sepulta manet, merita sit, tantum Doctorem, mæcenatem & fautorem nancisci, & comparare.

22 Tum etiam, quia ipse P. Vasquez pro constanti principio habet 1. p. *disp.* 101. & 1. 2. & 3. p. & passim ubi hoc negotium occurrit, nullam causam posse compleri ad producendum in genere causæ efficientis aliquem effectum per ipsum effectum

productum; quod demonstrat exemplo visionis; visio enim non potest complere potentiam visuam eo modo, quo completur per speciem impressam in esse causæ efficientis, & producentis ipsam visionem: sed creatura omnis quæ potest connotari ab actu libero, est effectus in genere causæ efficientis eiusdem decreti liberi: ergo in sententia Patris Vasq. non potest ipsa creatura constituere, & complere actum liberum Dei, quæ causat efficienter ipsam, &c. ergo falso asserit Alarcon P. Vasquez pro relatione rationis, quæ docet constitui actum liberum, intellexisse creaturam connotatam.

23 Vt autem hæc omnia clarius pateant, aduerte, non solum Thomistas, sed etiam Scotum in 1. *disp.* 39. huic sententiæ fauisse, & ideo omnes Scotistas, vt docet P. Suarez supra citata *disp.* in hanc sententiam inclinant, inter quos expresse Lychetus eam tenet *disp.* 45. vbi Gabriel, Ocham, & alij Nominales idem docent: ergo non mirum quod in hanc sententiam tot, ac tam grauium Doctorum sese induerit P. Gabriel Vasquez.

24 Fundamentum huius opinionis nullam aliud est, nisi oppugnatio earum, quæ asserunt, addere aliquid liberum decretum distinctum à pectore rei supra voluntatem; ex qua oppugnatione necessario sequi videtur hæc sententia; quia cum vere, ac proprie Deus velit libere creaturas, & absolute loquendo potuerit non velle, necesse est, vt actu velle creaturam aliquid addat, præter posse velle, seu præter actum volendi necessarium, quo Deus amat se ipsum; sed non addit aliquid reale: ergo necesse est, vt addat aliquid rationis.

25 Secundo sic probatur; quia intellectus noster nunc intelligit duas res sine relatione rationis, & sine fundamento illius, & deinde inter duas illas aliquem respectum rationis inuenit, non onere gratis confectum, sed habens fundamentum necessarium est vt talis respectus ultimo, & formaliter constituat id, quod habet fundamentum ad illum: sed intellectus noster concipit Deum secundum omnia, quæ necessario illi conueniunt in sua æternitate, & vt sic non concipit in eo relationem vllam rationis contingentem, & defectibilem, nisi forte necessariam ad creaturas possibiles; deinde vero concipit Deum vt amantem v.g. Petrum, quem ad æternam gloriam eligit, & tunc concipit relationem rationis ad illud, & præterea concipit fundamentum illius relationis de nouo consurgentis, perquam ita terminatur ad creaturas; vt potuerit non terminari ad illas quæ est ratio formalis libertatis, quæ in indifferentia formali ad vtrumque consistit: ergo actus liber Dei formalissime constituitur per relationem rationis.

26 Vltimo: quia actus liber Dei, quo prædestinat v.g. non est ad se, & absolutus, sed potius relatus ad prædestinatum, nimirum D. Petrum; ergo actus ille liber per relationem constituitur; quia omne, quod est ad aliud relatum est, ac proinde relatione constitui necesse est, sed non constituitur per relationem realem, quia Deus absolutus est; (vt mordicus tenet, & defendit P. Vasquez) ab omni reali respectu, & ab omni connexionione, tam tam ad creaturas possibiles, quam ad creaturas actuales, & futuras; vnde etiam si creaturæ possibiles non essent possibiles, & per impossibile redderentur impossibiles; nihil reale, aut absolutum, aut respectuum tolleretur à Deo, & de facto licet tollatur existentia creaturæ, aut futuritio illius, & de futura, & existenti in non futuram, & non existentem reddatur: er-

SECTIO IV.

Sententia Patris Suárez ponitur.

27 **T**omo secundo, mei. disput. 30. sect. 9. à num. 33. usque ad 44. inclusive, eximius Doctor explicans suam sententiam circa decretum Dei liberum asserit, libertatem actus totaliter, & adæquate esse intrinsecum Deo; ita ut nihil sit in actu quatenus constituitur inesse liberi, quod sit extrinseca denominatione in Deo proveniens, ac resultans à creatura, sed potius esse essentiam diuinam, quatenus intrinsece terminatur ad creaturas existente. extra Deum, & ratione huius terminationis intrinsece asserit, compleri, & constitui actum voluntatis diuinæ inesse volitionis, aut nolitionis liberæ formaliter; primum, & secundum docet his verbis, num. 36. §. 2. dicendum. in medio | multo magis, cum constituatur Deus volens creaturas simplicissimo modo tanquam purus actus solum constituitur solo reali, & intrinseco velle (id est adæquate). Tandem hoc est evidentissimum in scientia; nam Deus non inuenitur creaturas, vt existentes in aliqua differentia temporis, nisi per scientiam suam, tanquam per formam realem, & intrinsecam sibi, & non per aliquid extrinsecum, vel per aliqua entia rationis; nam Deus vere, & realiter iudicat de rebus creatis, vt existentibus, & apprehendit, ac intellectualiter representat illas; totum autem hoc est reale absolutum & intrinsecum Deo: est ergo in ipso per aliquid reale, & intrinsecum ipsi: ergo per intrinsecam scientiam ipsius. Sic similiter amat Deus

Ultimum docet hic Auctor, *num. 41.* his verbis: [ex quo intelligitur aliter dictum, liberum amorem Dei, quam dicatur amor creaturæ, hic enim dicitur liber, quantum ad esse, non vero quantum ad terminari tali modo ad tale obiectum (loquor de amore non vt cogitatione abstractur in communi: hic enim indifferens est; vt ad hoc, vel illud obiectum terminetur, quæ magis est indifferencia generis, quam libertatis, sed loquor de actu amoris, vt realiter existente in particulari) hic ergo dicitur liber quoad esse, quia ita est à sua causa vt ex vi eius possit non esse; non est autem liber quoad terminari, quia si est, necessario terminatur ad tale obiectum tali entitati actus adæquatam. At vero diuinus amor est liber, non quoad esse, sed quod terminari respectu creaturarum; nam ille amor secundum suam totam entitatem & perfectionem necessario est, neque in hoc potest habere indifferenciam, quia esset magna imperfectio; tamen in terminari habet indifferenciam, non quidem respectu primarij obiecti, quod est ipsemet, seu diuina essentia; quia necesse est, vt ad aliquod obiectum necessario terminetur ad illud scilicet, cum quo habet intimam, & necessariam connexionem, vel potius unitatem; sed indifferenciam habet respectu secundariorum obiectorum, cum quibus non habet necessariam connexionem, nec ab illis vlllo modo pendet, & *in fine numeri 42.* sic ait: [vnde cum dicitur Deus posse velle, & non velle, illud posse non dicit potentiam actuum, vel passiuam, sed solum dicti indifferenciam actuum, vt ad hoc obiectum terminetur, vel non terminetur,] & *num. 43.* concludit his verbis: [sic denique intelligitur optime in libertate diuina distinctio, & oppositio actuum secundum rationem sine vlla reali contrarietate, vel distinctione, quia nimirum idem est omnino actus secundum rem, qui sine vlla additione, ac varietate terminatur, & sic ratione distinguuntur vnus actus ab alio, & vt terminatur ad hoc, vt aliqua res sit & existat, dicitur amor, aut volitio, prout vero terminatur ad non esse talis rei, dicitur nolitio eiusdem rei, & metaphorice odium, non inimicitia, sed abominatio.] Sic magnus Suarez.

Aliqui neoterici, vt huic sententiae lucem tribuant, dicunt esse posse contingentia in praedicatione intrinseco alicuius rei, sine vlla contingentia in entitate rei aut physica mutatione eius, hoc autem posito facile explicant vt aduertit P. Heriz, quia ratione praedicationis intrinsecae continens creare mundum Deo possit competere continenter, & nihilominus, si condere mundum non lussit, nihil de diuina entitate desideretur, nullaque in ipso eueniret physica mutatio, illud autem ponendum esse ostendunt variis exemplis probabiliter admissis ab Authoribus, nec parum videri debet improbabilis sententia, licet difficile mysterium aeternum liberorum cum probabilitate